



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 30. Brunorus Bellidux ab Alphonso in captivitate detentus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.
A.C. 1442.

§. XXX.

*Brunorus Bellidux ab Alphonso in
captivitate detentus.*

Ferventibus Neapolitani belli flammis, Alphonfus captivum tenebat Petrum Brunorum, patria Parmensem, ac belli Præfectum armorum gloria longe celeberrimum. Vir iste, cum in quadam juvene Volateranensis agricolæ filia, nomine Bona, quæ oves pascebat, masculam prorsus virtutem, atque innatum gloriæ ardorem perspexisset, eandem secum duxit, ejusque educandæ curam in se suscepit, illamque, ut equo vecta suum Dominum in venationibus expeditius comitari posset, virili veste indui voluit. Ipsa unacum habitu muliebrem animum exuisse videbatur, adeo insigni dexteritate cuncta sibi demandata obibat munia. Defecerat Brunorus relicto Alphonso ad partes Francisci Sfortiæ, nec tamen illa a Domino suo recesserat, & ubi paulo post Brunorus relicto Sfortiæ vexillis denuo ad Alphonsi Regis sui castra redibat, identidem Bona eundem individua fidelitate sequebatur. Attamen cum Brunorus elapso aliquo tempore iteratum ad Sfortiam defectionem meditaretur, necnon fugam animo suo volveret, clandestina tamen sua consilia remotis

Sæcul. XV.
A.C. 1442.

tis arbitris exequi haud posset, Alphonsus, quod res erat, suspicatus, eundem comprehendit, ac custodiæ mandari iussit. Bona comperto Patroni sui fato, benefactorem suum libertati reddere constituit; hinc ad omnes totius Italiæ Principes, Galliarum Regem, Philippum Burgundiæ Ducem, Venetosque convolavit, atque ad eorum pedes provoluta, literas commendatitias obtinuit, quibus Brunoro libertatem exoraret. Alphonsus tam potentum Principum precibus expugnatus, captivum suum libertati, ac generosæ suæ liberatrici asserere compellebatur; Illa vero nec his contenta, insuper sua opera eidem a Senatu Veneto dictæ Reipublicæ copiarum imperium impetravit, constituto viginti millium ducatorum stipendio. Brunorus tam insignium beneficiorum memor, in grati animi testimonium Virginem sibi matrimonio jungere decrevit. Bona peracto connubio ma-

*Hilarion de
Costa Elog.
Illustr. Fam.*

jora indies suæ virtutis specimina edidit, atque ingenti sollicitudine ac vigilantia præliis omnibus præsens, invicto robore pugnavit, tantamque artis militaris experientiam affecuta est, ut se veteranum militem in variis bellorum periculis comprobaret, præcipue vero in Venetorum pugna contra Franciscum Sfortiam, qui decedente Philippo in Mediolanensium Ducem salutatus est; in hac enim illa ma-

Sæcul. XV.
A.C. 1442.

gis exemplo, quam imperio militares copias ducens, strictumque gladium manu tenens, arcem Pavonium haud procul a Brescia facto impetu invasit, atque hostium manibus eripuit. His facinoribus, cum Venetorum Senatores Petri Brunori fidem, & uxoris suæ fortitudinem, atque prudentiam plene probatam haberent, utrumque Chalcidem decernebant, ut Insulam adversus Turcarum molimina propugnarent, quam etiam tam invicto robore defenderunt, ut toto, quo Insulam incoluerant, tempore Turcæ eam aggredi non auderent. Brunorus Chalcide ejusdem nominis urbe extremum clausit diem, summo funeris honore sepultus. Illustris vero Bonna uxor ejus Venetias reditura in itinere Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo sexto in quadam Moreæ urbe rebus humanis erepta est, duabus prolibus, quas ex hoc conjugio susceperat relictis. Sed ad Historiæ Ecclesiasticæ gesta, unde digressi, redeamus.

§. XXXI.

Eugenii Papæ responsio ad Conventus Francofordiensis Legatos.

Eugenius hucusque ad Cæsaris postulata respondere distulit, licet quam maxime Friderici Legati instarent, jamque